

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2124

Auteur(s) : Guillaume III, Les Préaux, Saint-Pierre de Préaux (abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1267, 31 décembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume, abbé de Saint-Pierre de Préaux, qui avait acheté quelques vignes à Gaillon, tandis que ce domaine appartenait au roi, obtient de l'archevêque de Rouen, Eudes Rigaud, devenu par échange possesseur du même domaine, de les conserver en acquittant les redevances précédemment payées au Trésor royal.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCLXXVI, p. 315-316.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, W., permissione divina, abbas de Pratellis, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra quod cum reverendus pater O., Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopus, impeteret nos super quibusdam vineis quas acquisieramus apud Gallonem, eo tempore quo castrum Gallonis cum suis pertinentiis ad dominum regem Francie pertinebat ; quod castrum cum suis pertinentiis nunc ad ipsum reverendum patrem, ratione cujusdam permutacionis cum ipso domino rege inite, noscitur pertinere. Tandem, nobis supplicantibus predicto patri reverendo ut easdem vineas in perpetuum nos et nostrum monasterium pacifice retinere ac detinere sustineret ac concederet, sicuti antea dicti domini regis tempore possideramus et detinueramus pacifice et quiete, salvis ipsi redditibus, redevanciis, juribus, justiciis, et aliis eidem debitis inde tanquam domino capitali, idem reverendus pater super hujusmodi supplicatione, deliberatione, deliberato consilio, et attentis tam consuetudine fori secularis quam more regio, consimiles adquisiciones a tam longo tempore celebratas religionis favore esse tolerandas a dominis capitalibus et minime consuetas revocari, sustinuit ac liberaliter concessit quod vinee quas apud Gallonem acquisieramus ab anno Domini M° CC° tricesimo sexto, usque ad annum Domini millesimum ducesimum sexagesimum sextum, nobis et monasterio nostro remaneant in perpetuum possidende et retinende absque reclamacione sui vel successorum suorum, salvis sibi redditibus et redevantiis, juribus et justiciis et aliis inde debitis tanquam domino capitali.

Nos vero predicti abbas et conventus de Pratellis erga predictum patrem reverendum de liberalitate et concessione nolentes reddere nos ingratos, quicquid in redditibus, juribus, terris, decimis, ac rebus aliis apud Gallonem habebamus et possidebamus, exceptis duntaxat manerio nostro et omnibus vineis nostris et arboribus in ipsis crescentibus, et duodecim denariis annui redditus quos nobis debet Willelmus Hays de quadam pechia terre sita juxta clausum quem nobis retinemus, supradicto patri et successoribus suis concessimus liberaliter et dedimus inperpetuum possidendum et habendum.

In cujus rei testimonium, sigilla nostra duximus presentibus litteris apponenda.

Datum anno Domini M° CC° LX° septimo, die sabbati post Natale Domini.